

verò, quæcunq; illæ sint, abstractionum generibus facile carebit, qui res ipsas potius intueri & Aristotelicum considerandi modum sequi, quam abstractionibus suis omnem philosophandi vim adscribere velit. Vid. Scarfius in accurato Philosophandi genere, th. 15. 20. & reliquis.

§ 7. *Alia via rem aggreditur Philosophus: Quem admodum inter Mathematicas scientias ea, quæ agit de prima Quantitatis specie, in genere simul Quantitatem considerat, & illa, quæ omni Quantitati sunt communia, ita inter scientias Theoreticas dabitur aliqua, quæ agat de primario Ente, de substantia puta immateriali, quæ simul Ens in genere considerabit, & ea, quæ omni Enti sunt communia. Neq; enim de Ente peculiaris scientia est conscribenda, inquit Mend. disp. Metaph. 1. sect. 3. §. 25. V. Suarez. disp. Metaph. 1. sect. 3. n. 10. & Arriaga in Proœmio Metaph.*

§ 8. *Quod dixi manifestis verbis proponitur lib. 6. Metaph. c. 1. Dubitaverit aliquis utrum prima Philosophia Universalis sit, an circa unum aliquod genus & unam naturam versetur. Nam Mathematicæ etiam disciplinæ non eodem modo circa objecta sua versantur, & Geometria, & Astrologia quidem peculiare quoddam objectum considerant: Geometria verò etiam ea tractat, quæ omnibus communia sunt universaliter. Si igitur non est alia aliqua substantia præter substantias naturales seu mobiles, Physica erit prima scientia omnium. Quod si est aliqua substantia immobilis (ut Deus) hæc prior & Philosophia prima & universalis eam ob causam, quia prima, & de Ente quat. Ens est, & quid sit, & quæ ei universaliter, quatenus Ens est, insunt, hujus est considerare. Conf. lib. 13. Met. c. 7. & lib. 4. M. c. 2. εστιν ο φιλόσοφος, ὡς περ ὁ μαθηματικός λεγόμενος, καὶ γὰρ αὐτὴ ἔχει μέρη. καὶ πρώτη τις καὶ δευτέρα*